



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

VII. De postulatione Cleri & populi ad S. Michaëlem pro idoneo rectore agentibus nunciis apud Imperatorem: & qua Imeratoris commendatione Otto eis Episcopus designatus sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

gatos honorabiles Clero & populo Babebergensi dirigit. Pastorem se eis idoneum & electum ex millibus prauidisse nuntiat; atque vt Capitanei ciuitatis Moguntiam ad natale Dominicum sibi occurrant, paterna dulcedine mandat. Exhilarantur hoc nuncio Babebergenses, & confestim Egilbertus Præpositus, Adelbertus quoque Decanus, cum Eberhardo, piæ memoriæ, tunc sancti Iacobi, postmodum verò Maioris Ecclesiæ Præposito, assumptis natu maioribus, & quibusque illustrioribus personis, Imperatori Moguntiam, tempore conditio, occurrerunt.

Legati Babebergensium ad Imp. pro nouo Episcopo.

De postulatione Cleri & populi ad S. Michaelem pro idoneo rectore, agentibus nunciis, apud Imperatorem; & qua Imperatoris commendatione Otto eis Episcopus designatus sit.

CAPVT SEPTIMVM.

Nterim verò Clerus & populus Babebergensis diu iam Episcopali benedictione priuatus, nullo modo à precibus cessabat, sed vnanimi deuotione congregatus in Dominica proxima natali Dominico solenni processione cum reliquijs sanctorum Montem B. Michaëlis Archangeli ascendunt, ibique Missarum celebritatem summa compunctionis dulcedine agentes, diuinam exorabant clementiam, vt per summum sedis suæ ministrum, qui semper in adiutoriū populo Dei occurrit, eis propitiatus acceptabile sibi largiri dignaretur Antistitem. Quorum preces & vota, quomodo secretissimas Dei penetrauerint aures, hodieque & vsque in consummationem seculi, patenter datur intelligi, quia talem huic Ecclesiæ prædestinauit Præsulem, qui omnes Prædecessores suos, meritorum Prærogatiua longè antecessit; cuius memoria in omni ore quasi mel in-

Ebbo. Vide Vit. am. 13. Canisio edit. am. lib. 1. cap. 3. Supplicationes Bamberg. pro adeptione montis Præsulis.

Ecclesiast. 39. dulcabi-

dulcabitur, & vt musica in conuiuio vini. Diuinitus enim re vera in hunc locum est directus, quem panè collapsum mirificè Deo cooperante, reparauit, & cultu interiori & exteriori tam nobiliter augmentauit, vt quousque mundus iste voluitur, eius laudabile meritum, semper accipiat incrementum.

Venientibus itaque Capitaneis Ecclesiæ Babebergenfis, Imperator eos cum honorifico gaudio suscepit, & accitis coràm Principibus, ait; quantum profectui & honori Ecclesia Babebergenfis congratuler, hinc aduertite, quòd cum tot magnæ & alti sanguinis personæ Episcopatum hunc à me precio comparare tentarent, ego illum potius, qui fide, moribus, sapientia & religione cunctis præstat, vobis eligere malui; & aduocans pium Ottonem, annulum & virgam pastoralementem Præmensis Episcopi ab eo repetiit. Illo, sine mora resignante hæc Imperator ait; Ex multo iam tempore, fidelem te mihi, & præ omnibus vtilem approbaui: tempus est, vt & ego fidei tuæ digna munificentia meæ largitate respondeam: * accipe nobilem Ecclesiæ Babebergenfis Præsulatum, quem multi quidem pecuniis & muneribus sibi comparare satagunt, sed ego, spreto omnibus illis, te solum hoc Põtificali culmine statui illustrare.

* Bremensis.
Otto designatur Bamberg.
Episcopus.
* factum hoc Anno Christi 1102.

Otto oblatum hancrem deprecatur.

Sed frustra.

Gaudium populi in eius electione.

Imperator commendat Bambergensibus Ottonem.

Mox pius Otto cadens in faciem, & cum lacrymis, se tanto apice indignum esse protestans, iussu Cesaris ab Optimatibus erigitur, annulo & virga pastorali, quamuis plurimum renitens, inuestitur, & quantum se indignum fatebatur, tantum dignior à cunctis asserebatur, mirumque in modum vniuersa, quæ aderat, multitudo in electione acclamabat; vna omnium voluntas, eadem vota, eademque sententia, Ottonem Episcopatu esse dignissimum, felicem fore tali Ecclesiam sacerdotem. Quid multa? non aliud pium Ottonem facere licuit, nisi quod Imperator & populus, Domino volente, constituit.

Itaque Imperator Clero & populo affectuosa cum sedulitate eum commendans: Ecce, ait, electus & Deo dignus Pontifex; hunc vt viscera mea desideranter suscipite; scientes, eum omni diuina & humana scientia probabiliter instructum. Nã, vt verum fatear, ex quo regni solium, Deo largiente, conscendi, in

di, in comitatu nostro, vel in Capella nostra non memini me virum honestate, prudētia, & omni virtutum genere præstantiorem vidisse.

Encomia Othonis.

Ad hæc Beringerus Comes de Sultzbach, cui cum bonis læua semper voluntas fuit, submurmurans; Domine, ait, nescimus quis, vel vnde sit, quem nobis Pastorem assignasti. Cui Imperator, si vnde sit, ait, quæris? Babeberg mater eius, ego autem pater ipsius sum. Et, viuit Dominus, qui nocuerit eum, tanget pupillam oculi mei: quiue eum deponere tentauerit, me quoque regni folio priuabit. Hunc diuino credens electum iudicio, vobis Pontificem dignum offero. Nam qualis est, quantāue in eo gratia redundet, euidentius adhuc experimentum capietis. His dictis cuncti, elata in altum voce, laudem Deo canebant, Clerus & populus prospera ei diuinitus imprecando affectuosius vocibus concrepabant.

*Obmurmurac
Comes de
Sultzbach.
Imp. defendit
Othonem.*

Qua honestate Imperator Othonem Episcopum ad sedem suam direxerit, & quomodo susceptus sit.

CAPVT OCTAVVM.

Imperator autē secretius eum de necessariis quibusque paterna informans diligentia, aliquandiu in Palatio detinuit, donisque optimis cumulatum, Ecclesiæ Babebergensi honorificè destinavit. At pius Otto chari Cæsaris vitam charissimo IESU multum commendans, iter cum suis aggressus est. Cumque egresso itinere ad villam *Ampherbach* dictam venisset, occurrerunt ei eminentiores quique & honorati Babebergensium, & magno exultationis concentu Patrem desideratissimum exipientes, debita sedulitate obsequij in vicem sese præuenire certabant. Ipse autem paululum ex eadem villa progressus, cum ciuitati Babebergensi appropinquaret, ad demonstranda verè humilitatis & inuictę magnanimitatis exempla, equo, cui

*Ebbo.
Vide vitam e-
dit. à Canis.
lib. 1. cap. 4.*

Otho Bambergam tendit.

*Occurrunt
Othoni Bambergenses.*